DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE

MEDICA CHIRURGIA IN GENERE,

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRANDENBURGICO, RELIQUA,
GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU
PRÆSIDE
DN. GEORGIO ERNESTO STAHL,
CONSIL. AUL. ET ARCHIAT. REG. MED. ET RERUM NATURALIUM PROFESSORE PUBL. ORDIN. ACAD. NAT. CUR. COLLEGA LONGE DIGNISSIMO, DECANO h. t. SPECTATISSIMO,
DN. PATRONO, PRÆCEPTORE, AC PROMOTORE SUO
omni Obſervantiæ atque Honoris cultu ætatem proſequendo,
PRO GRADU DOCTORALI,
Summisque in Arte Medica Honoribus, Inſignibus, ac Privilegiis
More Majorum ſolenni obtinendo,
Ad d. Jul. MDCCXIII. horis ante & pomeridianis
IN AUDITORIO MAJORI
Publico Eruditorum Examini ſubmittit
CHRISTIANUS FRIDERICUS ECKSTEIN,
BEROLINENSIS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.



Prooemium.



Vantus, & quanti momenti, passim vigeat abusus, in exercenda praxi Medica, adeò in ipsum usque vulgus notum est, ut prolixioribus verbis ad orandam hanc causam, nullatenus opus esse videatur. Neque verò etiam in notanda illa ataxia, tempus atque verba perdere, sedet animo, quomodo multi medicandi licentiam temerè sibi sumant, non solùm numerosis drasticis præparatis, aut inanibus titulis & pollicitationibus, frustrà phaleratis medicamentis; sed etiam, mulieres, & de communi plebe, euporistis, aut per manus traditis specificis, cœcâ fiduciâ insistentes: sed subit hâc vice animum propius, illorum male collocatam industriam, sciolam solertiam, & familiarissimè temerariam audaciam, brevibus notare, qui propiorem occasionem nacti, morbis & personis ægris, in suo ordine debitè succurrendi, protervè transiliendo suæ vocationis limites, licentiam hanc medicandi confidentiùs sibi sumentes,

aliquando quidem omittendo, quæ verè utilia imò necessaria erant, ægris pessimè consulunt: longe familiarius autem committendo varios errores, & temeraria experimenta prosequendo, è malo in deterius, imò non rarò in pessimos planè effectus & eventus, eosdem conjiciunt. Neque tamen iterum, camarinam illam, pharmacopœorum atque seplasiariorum multorum audaciam, hîc movere placet, cum certè Augiæ illud stabulum aggredi, Herculeus quidam videatur labor: sed suffecerit Chirurgorum confidentiam perstringere, quâ tales, uti sinceram appellationem Germanam veri sui officii, (quamvis certè imprudentissimè, dummodo illam decenter tueri valeant,) graviter aversantur; ita tanquàm solido illa jure possessionis acquisito jam pridem potiti, adeò ægrè ferunt, in hoc negotio circumscribi aut coërceri, ut tanquàm pro aris & focis dimicare, non erubescant, si ipsis in hoc genere quæstio status moveatur, & vel abusus solum, nedùm ipsius usus possessio, ejusque bona fides, in dubium vocetur. Quæ tamen res, cum omnibus modis, non tàm altercatione atque disceptatione cum hominibus duræ frontis & cervicis, digna sit, quàm veriore potius, & bene fundatâ deductione atque demonstratione; visum est nobis operæ pretium, ad minimum in genere, quæ ad hoc negotium pertinent, evolvere, & quid circà illud jus atque fas sit, enucleare. Placuit itaque, cum INAUGURALI DISSERTATIONI constituendum esset Thema, hanc ipsam rem huic scopo destinare; nempe de MEDICA CHIRURGIA IN GENERE, quæ consideratu maximè digna sunt, pertractare.

Quod

Quod ipſum dum in effectum deducere laboramus, ante omnia divinæ gratiæ præſidium humillimè exoramus, ut quæ ſcitu omninò hîc ſunt neceſſaria, rectè & perſpicuè proponendi dexteritatem, clementiſſimè nobis largiri dignetur.

Theſ. I.

MEDICAM CHIRURGIAM IN GENERE adumbrare, dum nobiscum conſtituimus, neceſſe ante omnia erit, de verâ vi & ſignificatu hujus appellationis, tanquam ſuccinctâ deſcriptione, conceptum perſpicuum exhibere. CHIRURGIÆ quidem nomine, ſimplici vocabuli ſignificatu, *manualem operationem* ſeu *manuum opus* denotari, perſpectum habent, qui vocabula græcæ linguæ didicerunt. Ubi, quicquid cum faſtu indignentur, hanc dexteritatem exercere profeſſi, ne illa *Germanis* voculis eines Handwercks, ut ipſi quidem interpretantur, dehoneſtetur; tamen facile intelligere poſſent, quam parum dignitati ſuæ, (dummodo ſolidæ peritiæ,) decederet, ſi modo diſtinctionem *prærogativæ*, tàm *ſubjecti*, circa quod occupari debet, quam *objecti*, nempè ipſius *artificioſæ* adminiſtrationis, manualium ſuarum operationum, & ipſi recte intelligerent, & aliis, quod breviter & nervoſe præſtare facile utique eſt factu, inculcare meminiſſent. Sicuti enim nemo *artificioſioris Muſicæ*, *mechanicæ*, *pictoriæ*, *ſculptoriæ*, *pyrobolicæ*, *architectonicæ* &c. recte peritus atque compos, ita neque ipſi certè hi *Chirurgi*, usquam haberent, quod metuerent, ne ipſorum *ars*, ab *illiberalium* artium aliarum opificibus, vel *imitatione*, vel *æſtimatione* juſtâ, in contemtum adduceretur: ita apud omnes prudentiores tantò minùs illa unquam confundetur, cum illis habitibus, qui magis *ſimplici* qua-

dam *mandali* peritiâ, quam *rectæ rationis* exquiſitiore judiciô, abſolvi poſſunt atque debent.

II.

Et, licet illa *Chirurgorum*, nempe humano corpori per *manuales* operationes bene conſulere peritorum, turba, qui *oculorum* vitiis, *herniis*, *calculis*, *manuali* operâ mederi didicerunt, vulgo magis dubiæ exiſtimationis haberi ſoleat; tamen, cum in aprico poſitum ſit, quod contemtum, non tàm *arte* ſuâ, quàm uſitatâ vivendi ratione, circumforaneâ atque hiſtrionicâ, & frivolis oſtentationibus, atque pollicitationibus clamoſis, ſibi accerſant: neque ullus hominum ipſam illorum, quousque vera atque ſolida eſt, *peritiam*, ſed ſolam hanc *vivendi ataxiam*, in illis aſpernetur; non certè habent veri *Chirurgi*, ullam juſtam cauſam, cur hoc nomen, (quod græcum, maximi utique æſtimant,) etiam germanum in ſolidum deſpicatui haberent.

III.

Interim, ut juxta prudentiſſimum Galeni monitum, jubens: *In verbis faciles eſſe, dummodo in re conveniamus*, nemo hominum tam ſtolidus fuerit, ut illis vernaculam hanc appellationem, utique nimiâ latitudine indiſcretam, quaſi injungere contendat: habet tamen vera ejus vis illud imprimis in receſſu, ut veros, huic *artificioſæ Chirurgiæ, limites* definire, & illam exercere profeſſis, eosdem ante mentis oculos ſiſtere, & conſtanti memoriæ imprimere, exquiſitiſſimè poſſet, & deberet. Unde quidem juſtum prorſus atque æquum, & utile omninò, imò credo neceſſarium, eſſet, vi dicti reſpectus, Chirurgum non tam ita ſimpliciter, uti græcum ſonat vocabulum, einen Handwercker, oder Hand-Würcker, quam einen Hand-Artzt, appellare.

IV.

Interim, cum hæc ipſa appellatio, tantùm abeſt, ut omnem

omnem *æquivocationem* tollat, ut potius videri possit, verum *discrimen*, *strictè* & *eminenter* dictæ *Medicinæ*, cum reliqua *Chirurgia* adhuc intricare; dum utique ipsum *Medici* vocabulum, vernaculâ appellatione, aliud nullum sit, quàm ein Artzt: adeoque neque ipse *Paracelsus*, in hanc ipsam distinctionem intentus, appellationibus illis, eines Hand-Artztes und Leib-Artztes, nudâ vi verborum *æquivocationem* omnem exhaurire valeat: præstat proinde, vocibus potiùs illum usum relinquere, quem ipsa *consuetudine* jam obtinuerunt, quàm prolixius de verbis argutari.

V.

Unde sint certè *Chirurgi*, Græco potiùs nomine, *manuales operatores*, sine adjectô *Medicæ* seu *medicatricis* operationis, limite: dummodo ipsi *Chirurgi*, rectè informati, contenti esse discant, *manuali* illâ suâ *peritiâ* atque *arte*: & ab illis rebus sibi temperare meminerint, quæ longè aliud quiddam, quàm *directionem* & *applicationem manualem*, involvunt atque complectuntur.

VI.

Quod autem *specialiorem* appellationem concernit, dum MEDICAM Chirurgiam considerare suscepimus; ignotum esse non potest, quod *Chirurgia* in *genere*, equidem *applicationem manualem* denotet; Sed *specialius* occupetur, vel circà *instrumenta*, magis immediatè solidas corporis partes afficientia; vel circà *remedia*, *humores* potius, aut solidarum partium non tàm *texturam* ipsam, quàm *crasin* aut *motum*, ALTERANTIA. Quæ *posteriores*, cum tàm *materialiter*, quàm *formaliter* ad *Chirurgiam* planè non pertineat; sed *ministerialiter* solù & *instrumentaliter*, ut in scholis loquuntur: bene verò ad *scientiam* & *artem* MEDICAM, dictis illis respectibus, pertineat: habet itaque *Chirurgia* simplicior, & *Medica* Chirurgia, illam diversitatem, quod *prior* simpliciter occupata sit, in *applicatione* & *directione* per *manus* exercendâ: *posterior* verò, in *applicatione* quidem

dem manuali, sed talium rerum, quarum ulterior *effectus*, à *directione manuali* nihil quicquam præsidii aut efficaciæ nanciscatur: sed potius tota *inventio* atque *directio* seu *intentio*, ab aliâ prorsus *arte*, cum *profundiore ratione* effectivâ, peti atque ordinari debeat.

VII.

Quo nempè intuitu, *Medica* Chirurgia definiri poterit, quod, sit *Ars*, *per idonea medicamenta*, manibus tamen aut instrumentis peculiariter *applicanda*, *fluidarum* & *solidarum* partium, inter se *communibus* vitiis, benè consulendi. Et quidem imprimis ejusmodi etiam morbis dicata, qui simul qualemcunque concursum *simplicioris* illius *Chirurgiæ* requirunt atque præstolantur. Sicut enim nemò *Chirurgorum* facilè eò audaciæ procedet, ut v. g. pro *tumoribus œdematosis*, præscribenda *externa* aliqua remedia, ita suæ arti vindicare & asserere velit, ut tantundem *inventionem* quasi atque *præscriptionem* idonearum specierum, quam forte *applicationem* earundem, sub *Epithematum*, *Vaporum*, *Insessuum Sacculorum*, *Emplastrorum* &c. formâ, sibi arroget: ita profectò nequaquam dispar haberi debet ratio, etiam aliorum remediorum, atque formularum eorundem, quarum quidem *applicatio* manibus peragi debet; *inventio* verò atque *consultatio*, ab alia *scientiâ*, quam *manuali dexteritate* & peritiâ, expectanda venit.

VIII.

Hæc res, si *in genere* solùm, debitè intelligatur atque æstimetur, nullatenus difficilis erit progressus & applicatio secundum *species*. Et sicut inde, tàm *Chirurgiæ*, quicquid illi in hoc negotio competit sine ulteriore controversiâ, liberaliter relinquetur: simul vero etiam *Medica* ars, quod ejus hâc in parte est, intemeratum retinebit: Ita habebit insuper adhuc ipsa sincerior *Chirurgia*, quo *rationalem* suam artem, nempe cum *recta ratione* effectivam, ita tueatur, ut dignitatem ejus præ aliis ignobilioribus, & parvô

intel-

intellectu opus habentibus, ſartam tectamque conſervet. Quâ de re adhuc aliquantò plus verborum facere, propterea tantò magis conſultum ducimus, quoniam etiam hoc ipſum negotium, à perplexis quibusdam tricis, juxtà communem confundendi licentiam, nequaquàm ſatis libera exiſtit.

IX.

Neminem quidem propemodum latere poteſt, aut certè debet, quod antiquiſſimis temporibus, imprimis apud *Romanos*, *Medicinæ* atque *Medicorum* nomen, longè familiarius tributum fuerit, *Chirurgicis* artificibus atque operationibus, quàm ſimplicius *Pharmaceutico-Therapevticis*. Licet ſimul, vel antiquiſſimorum Poëtarum fabulis, ſatis jam celebris ſit, ad chirurgicas ſanationes, præter *manuales*, & *manibus* tractandas inſtrumentales, operationes in uſum tracta *pharmaceuticorum* remediorum adminiſtratio. Propioribus autem, non tàm ſeculis, quàm propemodum luſtris, non ſolùm *adſcripta*, quam *præſcripta* haberi cœpit Chirurgis *neceſſitas*, nedum *utilitas*, *Anatomicæ* notitiæ.

X.

Præterea, ab eo jam tempore, quo, cum aliis diſciplinis, Ars quoque *Medica*, aliquantò curatius æſtimari atque ordinari cœpit; maximô quidem jure *Chirurgia*, ita pro *parte* univerſæ *Medicinæ* cenſeri occepit, ut quidem *Chirurgi*, æque atque *Pharmacopœi*, pro *miniſtris*, univerſa arte potitorum Medicorum, declararentur: hoc ipſo verò etiam, in *vero* Medico, ſi non ipſum *manuale* exercitium, & hujus acquiſitus promptus *habitus*, tamen *intellectus* plenus & ſufficiens ejusdem, ſupponeretur, imò ab illo veluti poſtularetur. Unde, cum ſufficiens *Anatomica* corporis notitia, etiam ad reliquam *theoriam* ſeu *ſcientiam Medicam*, requiri videretur, tantò magis viſa eſt hæc ipſa occaſio ſatis idonea atque locuples, ut Medicus, pro præ-

cipuis *Chirurgicis* operationibus, earumque *directionibus*, ex *Anatomia* veluti *prærogativam* quandam utilitatis assequeretur, & tantò feliciùs, intellectu seu *rectâ ratione* Chirurgicæ *artis, regendæ*, potiretur.

XI.

Interim, sicuti universa quoque *Medica Anatomicæ* scientiæ utilitas, admodum prudenter æstimari meretur, ne illi plus, quàm ab eâ expectari potest, tribuatur, seu potiùs injungatur atque expectetur; valet hoc tantò magis de *utilitate*, nedum *necessitate* ejus, ad ipsam strictius dictam *Chirurgiam*. Sicut enim maximopere interest *Medicæ* theoriæ, ut solerter & prudenter à *physicâ*, de humano corpore, *scientiâ*, discernatur; ita valet, inquam, hæc ipsa *discretio* tantò magis etiam, tàm de *necessitate*, quàm ipsa *utilitate anatomiæ*, ad *Chirurgicos* scopos. Brevissimis quidem absolvitur diversitas *theoriæ*, (tàm *physiologicæ*, quàm *pathologicæ*) *physicæ* atque *medicæ*, in eo, quod *physica* harum rerum Theoria, nihil quicquam prætermittere possit aut debeat, quod ad *perfectam scientiam causarum & effectuum* facere aut collineare potest: interim etiam tandem in ipsa harum rerum *scientiâ*, *acquiescat*, neque illam ad ulteriores *fines* dirigere aut applicare, necessariò curæ cordique habeat.

XII.

Medica vero *theoria*, cum in solâ harum rerum *scientiâ* non subsistat; sed specificum suum ulteriorem *scopum* habeat, defectibus corporis humani, tàm *præoccupandis* prospicere, quàm jam *oblatis* efficax *auxilium* adhibere: adeoque cum rectâ ratione *effectivam* sese gerere, & *scientiam* suam in *praxin* deducere debeat: manifestum hinc est, quod ad *Medicam* theoriam, è *physicâ*, *universaliore* harum rerum consideratione, nihil amplius pertineat atque faciat, nisi illarum *causarum* atque *efficaciarum* portiones, quæ PRAGMATICUM usum ostendant: quæ, inquam,

quam, cum artis *poteſtate* ita coincidant, ut in ſalutarem *effectum* deduci poſſint. Ut adeoque *phyſica* theoria equidem *rectam rationem*, de corporis conſtitutione, tàm integrâ quàm ægrâ, exquiſitam involvat: *Medica* vero theoria, *cum* rectâ ratione, *efficaciam* requirat: ad quam nequaquam omnes atque ſingulæ *ſcientificæ cauſæ* conſpirant, ſed illæ *ſolum*, quæ verè *pragmatica*, ab ipsâ arte in *effectum* deduci aptam, potentiam, & reſpective poteſtatem, concernunt.

XIII.

Eluceſcit res vel uno aut altero exemplo, ad cujus interim tanquam paradigma, multa alia referri poſſunt. Totius *texturæ ſolidæ* corporis animalis, plerique omnes affectus, ſpectant & reduci debent. Si vulnus inflictum ſit cuicunque corporis *ſolidæ* particulæ, *phyſica* theoriâ verum & indubium erit, I.] Quod ibi certus aliquis *numerus* fibrillarum, è continuitate ſua diſſolutus. II.] Quod hæc disſolutio in culpa atque in mora ſit, ut hæ ita læſæ fibræ, officium ſuum motorium, quamdiu ita disjunctæ manent, præſtare non poſſint. III.] Quod per hanc ipſam continuitatem diſſolutam, *humores* ordinem tranſitus ſui perpetui per talem partem, continuare, imò vel ſolùm illa legitimè contineri, nequaquam poſſit: IV.] Adeoque, vel per perpetuum *effluxum*, vel ſi hic circa ſuperficiem cohibeatur, *ſtagnationem*, *infarctum*, *tumorem*, *inflammationem*, *corruptionem*, partim ſubeant partim inferant. Pro hujus multiplicis defectus emendatione, ſive therapia, mente concipiendâ, neceſſarium utique erit intelligere, quod, ſi hæ fibrillæ diſſolutæ, priſtinam *integritatem* recuperare debeant, ante omnia abſolutè neceſſe ſit, ut *ſingularum* mutuæ extremitates ita inter ſe, *numericè* (ſingulæ atque omnes) iterum conveniant, & ſibi mutuo admoveantur, ut nulla una, nedum plures, harum, in diſſoluto illo ſtatu remaneant. II.] Opus erit, ut exquiſite unius ejusdemque

 fibræ,

fibræ, (singularum atque omnium) extremitates, ita iterum coaptentur, ne ulla talium, *alienam* oppositam contingat, adeoque *confusio* fibrillarum, veram efficaciam motoriam, (quam scrupulosiores, non simplicioribus, sed nimium quam compositis necessitatibus *mochlico-mechanicis* superstruunt, (graviter destituat atque lædat. Opus erit III.) ut, postquam *singulæ* fibrillæ, *mutuis* suis extremitatibus iterum ita coordinatæ fuerint, etiam singulæ iterum *connectantur* seu coalescant; quod quidem crasso *conglutinationis* vocabulô, vulgo innuitur, sed nequaquam condigne exprimitur. Hæc omnia, inquam, quamvis *physicâ* consideratione, vera prorsus sint, & certo ita sese habeant, ac habere atque gerere debeant; manifestum tamen est, quod universa hæc consideratio, ad *pragmaticam* Medicam consultationem, nec umbram ullam levissimæ utilitatis contribuat. Postquam utique ab artis *potestate*, alienissimum est, vel *numerum* omnium atque singularum, quotquot ita læsæ sunt, fibrarum perscrutari; vel singularum *extremitates* mutuas, absolutissimè coaptare: vel denique unam, nedum omnes, vero consolidatorio *nexu*, in *integritatem* pristinam aut dubitam restituere. Dum interim, absurdè certè, *physica* speculabunda, disceptat atque altercatur, QUIDNAM illud sit, quod, etiam sine ullo *artis* alicujus adminiculo, omnes has, *arti non concessas*, difficultates, vel promptissimè superat, & spontaneam consolidationem absolvit? *Medica* vero theoria, securissimè in eo acquiescit, QUOD aliquid tale in *vivo* corpore sit, & talia agat atque perficiat, ad quæ ars ipsa, *positivâ* potestate, simpliciter destituatur: interim *privativa*, impedimentorum ablatoria, potestate, ita ubique polleat, ut non solum *primariæ* illi, *intrinsecæ*, activitati, *possit* subvenire; sed etiam subinde ita *debeat* hoc perfectum dare, ut etiam *intrinseca* illa energia, sine tali *artis* subsidio (quod passim in *ulceribus* contingit) neque ipsa potestatem suam absolvere valeat.

XIV.

XIV.

Ad quod exemplar, ficuti de magnô numerô etiam aliarum obfervationum *anatomicarum*, *phyficô* quidem certô, *medicô* vero, *pragmaticô*, nullô ufu, facillimè fieri poteft applicatio; ita de *medicâ*, hujus inquam, *artis ufui* refpondente, *Anatomiâ*, illud in genere dicere fuffecerit; quod *Medico* cuilibet fcopo, omninò fatisfacere poffit, faltem magis *confpicuæ* texturæ atque ftructuræ, *fitûs* ante omnia, tum etiam *connexionum*, præfertim per *communionem vaforum*, aliquatenus etiam *nervorum*, NOTITIA. Tanto magis autem *Chirurgiæ* veluti *craffiorum* hujusmodi circumftantiarum *notitia*, equidem fufficere poffit. Interim omninò illud maximè adhuc veluti folùm optandum, aut certe eò refpiciendum, atque connitendum fit, ut, dum *curiofior* atque *operofior* anatomica exercitatio, pro *phyficâ hiftoriâ*, tenuiffimam texturarum in corpore, conformationem fcrutari defudat; fi non *prius* (quod ad *medico-chirurgicam utilitatem*, ad quam eminenter intenta effe præ fe fert, certè pertineret,) tamen ad minimum non nimis *parum*, invigilaret, moftrando tàm verô *fitui* variorum *ramorum*, tàm *venoforum* quàm *arterioforum*, quin etiam *nerveorum*; prout illi inter *mufculofas* partes exterioris, corporis generalitèr, *communi* tractu & divaricatione, repere folent: verum etiam mox oftenderet atque commendaret, illum hujus notitiæ ufum, qui partim in inftituendis *incifionibus*, partim in æftimandis *vulneribus*, & tractandis aut evitandis gravioribus *hæmorrhagiis*, ex illa percipi poteft. Quorfum etiam omni modo referri debet, infcitia quafi folennis & veluti nulla animadverfione feu emendatione digna haberi apparens, de *fitu* imprimis *focio*, vel *craffisfimorum*, & fummæ fuperficiei proximorum, *mufculorum*; & diverfæ horum *crasfitiei*, tum propriæ, tum comparativæ, mutuæ; nedum communionis illius, ubi mufculi fibi mutuo *incumbentes*, *communius*

(nam utique non absolutè exquisitum hoc universaliter esse, nemo negabit) *vasa* sua sanguifera, à propinqua aliqua divaricatione, eousque communis rami, accipiunt. Quod certè, ad *medico-chirurgicos*, tàm *pathologico-prognosticos*, quàm *practicos* usus, immensum quantum gravius est, ignorare, quam si Medicus & Chirurgus, nesciat, an *Diaphragma* sit *musculus duplicatus*, an ad malleolum tympani in *aure*, peculiaris *musculus* exilissimus pertineat, aut an musculorum plerorumque *structura*, exhibeat fibrarum series sibi mutuo incumbentes, plus minus *rhomboideas* &c. Ita nempe non solum illud antiquissimum habendum veniret, ut, dum *unum est faciendum, alterum non* censeatur *omittendum:* sed etiam justa atque prudens æstimatio instituatur, & clasfis veluti duplex instruatur, eorum, quæ magis *necessarium*, aut forte *utile* sit, scire, quàm alia quædam: sed etiam, quænam de utraque classe, *non* possint, aut omninò *possint*, vel sine notabili, vel sine ullô, detrimentô *ignorari*. Juxta quam certe methodum si instrueretur, *Systema* quodlibet *Anatomicum*, nimio majoris pretii futurum esset, quam confusa illa intuitu methodorum, scripta adhunc diem quælibet, sunt aut esse possunt.

XV.

Ut hujus rei aliquod solum exemplum allegemus, memorabimus sequentem casum: „Inflictum erat Viro vulnus, quatuor ad minimum pollices longum, obliquo tractu per exteriorem cubitum, abscissa simul particula plus „dimidium pollicis lata de extremitate olecrani, sesqui „pollicem profundum. Ad hoc vulnus inspiciendum atque æstimandum quanti periculi, quantæ difficultatis ad „percurandum, & an etiam cubitus attque manus, aliquod, „aut nullum periculum amittendi motus aut sensus, inde „expectandum haberet, mittebatur, quartô die ab inflictô „vulnere, Medicus & juratus Chirurgus. Intumuerat non „solùm latè brachium, & labia vulneris, sed abscedebat

„jam

„jam, seu succedebat suppuratio, sive uti vulgò loquun-
„tur maturatio. Chirurgus qui curam vulneris gerebat,
„meritò monebat, ut modestè, quam importunè flagita-
„bat alter Chirurgus, visitatio, ut hi appellant, vulneris,
„instituatur: abstergebat itaque vulnus, ut, quantum ocu-
„li valent, rectè inspici posset. Impatiens autem, ad su-
„spectam usque importunitatem, deputatus Chirurgus,
„non solum *visitationem* sibi deposcebat, sed etiam *stylis*
„potius quàm *specillô*, ita immodestè vulnus lacessebat, ut
„sub anxiis & propemodum lipothymicis, ægri ejulatibus,
„Chirurgus curæ præfectus, de tali tractatione protestando
„interpellaret. Protestabantur vicissim, ad inspectionem
„hanc deputati, quod hâc ratione, ob denegatum suffi-
„ciens scrutinium, justam relationem formare impediren-
„tur. Memorabant itaque scriptô, (quòd imprimis Medi-
„cus concinnaverat,) satis bonâ fide, situm atque magni-
„tudinem vulneris cum conspicuâ tum temporis, sympto-
„matum conditione. Ubi vero ad formandum judicium
„sermo devolvebatur, protestabantur: Daß, wegen verwei-
„gerter genaueren visitation und perscrutation der Wunde,
„sie nicht gründlich erfahren können, was etwa vor vasa oder
„nervi durch die Wunde lædiret seyn möchten: interim hoc
„non obstante, disertis verbis judicabant: daß die Wunde
„keine würckliche Gefahr, auch keine Sorge unumgänglicher Er-
„folgung der Lähmung auf sich hätte: Die Heilung aber wohl
„bey die 6. Wochen, adjectâ expressione, sonderlich wegen des
„darzuschlagenden Glied-Wassers, erfordern würde. Curaba-
„tur interim, imò sanabatur, vulnus, intra 4. septimana-
„rum spatium, licet sine *Synoviâ*, (Glied-Wasser) quam il-
„li pro suâ experientiâ & arte, etiam sine conditione,
„tanquam certò expectandam, supposuerant: non autem
„universæ suæ libertati restitui potuerat motus digitorum
„præsertim, extensorius; ob complexum muscularem, cir-

„ca

„cà exteriorem apophyſin ulnæ ejus brachii, vulnere illô „graviter læſum. Interim, ſicuti fando vix perceptrm eſt, „quod Medicus prudens, aut Chirurgus peritus, in vulne„re, jam tumore, & maturatione, ut vocant, affectô, ma„nuali, & inſtrumentis armatâ, viſitatione, ſcrutari, & ad „conſpectum veſtigare, debeat aut posſit, ſive vaſa, ſive „nervos, in eâ parte fortè læſos: ita anatomicæ potius no„titiæ eſſe debebat, præcognitum habere quænam vaſa, „aut qui nervi, in vulnere ita conſtitutô, lædi potuerint, „aut, ex ſymtomatibus evidentibus, læſi eſſe, colligi atque „judicari debuerint. Cum enim inſignis utique, funi„culus quaſi, ſeu plexus nerveus, ad partes infrà cu„bitum pertinens, juxta ipſum olecranon ordinariè excur„rat, & tamen totius manus omnis motus, non exquiſitè „ſublatus inveniretur, non utique formandum demùm e„rat judicium, per *avtopſiam, inſtrumendali ſcrutiniô* eru„tam, an hic nervus totus diſſectus ſit; ſed colligi pote„rat, negativa hujus dubii, ex ipsâ tali rationali conſequen„tiâ, nempe non penitùs ablatô motu, & imprimis ſenſu, „earum partium, ad quas nervus ille diſtribuitur.„ Quod nempe exemplum illi ſcopo præſertim inſerviet, ut liquidò appareat, quomodo fruſtrà ſubinde, *exquiſitum* ſubtile ſcrutinium *anatomicum*, neceſſarium fingatur, & defectui ejus, intelligendi atque dijudicandi impedimentum imputetur, dum interim crasſioris quaſi nempè evidentioris, partium, talium conſtitutionis, meritò ſupponenda, ſed deficiens atque neglecta notitia, abunde ſatisfacere poſſet, toti negotio, quatenus reverà *pragmaticum* eſt.

XVI.

Sine ullâ verò injuriâ, hûc etiam referre licet, illam ſolicitudinem, quam, licet ex ipsâ etiam ſaltem *craſſiore* anatomicâ notitiâ, cautiores aliqui recentiores Anatomici, fovent, circa *inciſionem* partium muſculoſarum; præcipientes, ut illa potius fiat ſecundum *longitudinem* fibrarum,

rum, quàm per *transversum* earundem. Formidantes, ne posteriore hâc ratione, facilius aliquid *convulsivi* superveniat, quàm priore modò. Sed, quemadmodum Chirurgi, communi consensu, ab experientiâ familiari, artificiali, hanc formidinem etiam plus deridere audent, quàm reverà meretur; quandoquidem, ubi reliqua opportunitas hoc admittit, monitum hoc nequaquàm ita absolutè negligi aut contemni debet: ita ad minimùm eximiè sublevare hanc formidinem potest notoria illa experientia, quod utique innumera, per violentiam inflicta vulnera, tractum hunc fibrarum nequaquàm sequentia, tamen formidatam illam consequentiam, *convulsivorum* eventuum nequaquàm inferant: & certè, grande hoc esset infortunium, si ita, uti hâc speculatione metuitur, hoc facerent. Ut taceamus, quod etiam illa *incisio*, absolutè secundum longitudinem fibrarum, quoad ejus exquisitissimè fieri posset, perpetrata, tantò certius necessariam faceret perpetuam *dilatationem* per *Turundas*; dum sine his, longè certius ita connivet, ut neque *evacuationi*, neque *mundificationi*, satis liberum pateat spatium: dum interim peritiores Chirurgi longè magis timent molestas sensationes à *turundis* expectandas, quàm quodlibet tanquam certiùs expectandum symptoma, à transversali vulnere; nempè per *essentiam*, & non per *accidentales* exasperationes.

XVII.

Sed redimus in viam. Ubi nempe, licet Chirurgis, sufficiens scientia atque sanus usus anatomicæ constitutionis partium, minimè rejiculam utilitatem promittat; imò *necessaria* potius sit, pro variis operationibus rectè regendis; nequaquàm tamen ejusdem ordinis etiam est, *Pharmacia*, quatenus *solidarum* partium læsionibus quadrat & debetur. Cumm enim hæc, eminenter, non tam ipsas *solidas* partes in *texturâ* suâ, *situ*, aut *connexione*, respiciat; sed vel *sensum* atque *tonum* harum; vel *humorum crasin*

atque *motum*, *intrà*, atque *circà*, partes *solidas læsas*: & harum rerum, non tàm instrumentaliter *mechanicas*, quàm *chymico-physicas*, *Alterationes*: manifestum hinc est, quod non tàm *Chirurgicæ*, *mechanico-organicæ*, quàm *Medicæ*, *physico-pharmaceuticæ* æstimationis, hoc sit negotium.

XVIII.

Adeò, ut hæc res non ad *Chirurgiam*, vel paulò strictius *limitatam*, sed simplicius ad *Medicam*, quatenus Chirurgiæ *contrà distinguitur*, *physico-pharmaceuticam*, *scientiam* & *artem*; *rationem* & *experientiam*, referenda veniat.

XIX.

Meretur interim *Medica Chirurgia*, propterea dici, quia utique illis pathematibus, utilis imò subinde necessaria est, quæ simul *Chirurgicam manualem* opem expectant. Dum enim v. g. in *Vulnere*, aut *Ulcere*, suinde *necessaria*, semper vero *utilis* est, manualis chirurgia, pro *extergendo*, decenter *deligando*, & iterum iterumque hac cura *observando*, vulnere aut ulcere; tamen *stagnatio* humorum, subnascens inde *Tumor*, *Inflammatio*, *Suppuratio*, *Dolor*, *Affluxus* immoderatior, *Corruptio* citior atque intimior, non certè ejusmodi sunt effectus, qui *manuali*, aut *instrumentali mechanica* opera, cicurari possint: sed *pharmaceutico-physicam* requirant medelam, quæ singulis atque omnibus his conditionibus debitum moderamen atque levamen adhibere possit.

XX.

Ubi utique à *Chirurgia*, intra suos *limites* coërcita, nemo hoc exegerit, ut illa sciat & intelligat, quænam *pharmaceutica remedia*, *humores* ad faciliorem, *suppurationem* disponant; quæ nimiam *stagnationem*, & importuniorem *affluxum*, potenter *dissipent*: quæ *inflammationem*, nimiam *discutiant*, moderatam vero, utpote *necessariam* atque *salutarem*, tolerent: nimiam, & penitiorem *corruptionem*,

hoc

hôc ipsô præoccupent: nimiam *ſenſationem*, quæ etiam magnam partem ab his ipſis dictis circumſtantiis dependet, *mitigent*, atque avertant: Quin ipſam nervoſarum partium nimiam *irritationem* demulceant: imò (quæ propria eſt *verè balſamicorum* remediorum deſtinatio) ipſam *energiam* naturalem, ad *alacriter* æquè, atque *tranquillè* & *ordinatè*, reſarciendum & ſtructuram inſtaurandum, excitent. Cum hæc omnia, potius à *ratione, phyſico-pharmaceuticâ*, è firmâ & conſtante *experientiâ*, derivanda, cum nullâ *manuali*, aut crasſius mechanicâ inſtrumentali, efficaciâ, conſpirent.

XXI.

Quæ res, cum ita ſua luce radiet, ut prolixiore anxiâ deductione, nullatenùs indigeat; proximum eſt, ut illud ſolùm planius reddatur, unde *ortum* ſuum traxerit, inconſiderata illa atque temeraria confuſio, qua proletarii *Chirurgi*, hanc etiam *Medicinæ* partem, ad operationes ipſis certius convenientes, etiam audacius trahere, & ſibi quaſi vindicare in animum induxerint. Neque vero ullâ opus hic eſt peculiari ſagacitate aut ſolertiâ, ad pervidendum, quod *duplex* conſpicuum ſit hujus rei fundamentum. I.) *Empiria* generalior, ſeu *confidentia experientiæ*, citra ullam *rationem*, ſeu exactius *judicium*. II.) *Conniventia*, paſſim certe in ſocordiam usque prolapſa, *Medicorum*. Dum enim prioris intuitu, Chirurgi æque atque Medici, generaliore *experientiâ* compertum habent, quod certa quædam *compoſita* pharmacevtica, in caſibus *ſimplicioribus*, ita ſatis *univerſaliter*, etiam ſimplicioribus ſcopis ſatisfaciant, ut illis, tanquàm experimento cuidam ſecuro atque certo, inniti atque acquieſcere, integrum videatur; factum hinc eſt, ut Chirurgi, tanquam per manus tradita *nuda* hac *Empiria*, vix operæ pretium ducant, Medicum, tanquam altioribus curis, ſive diſtractum, ſive deſtinatum, de conſilio aut auxilio interpellare. Cui certe eidem fun-

damento, non solum *conniventia*, & tandem penitus *socordia*, Medicorum inædificata est: sed mox etiam ea Chirurgorum arrogantia atque licentia, ut hæc universa nequidem competere Medico, sed ipsis proprie convenire, imò deberi interpretarentur. Unde, quæ est imprudentiæ, cum impudentia, non magis literalis consonantia, quam moralis conspiratio, jam omnibus tonstrinis, quasi privilegiatum invenias axioma usitatum: Um diese Dinge hätte sich der Medicus nichts zu bekümmern, das müsten sie wissen, davon hätten sie so viel 1000. (si vel sæpe duo, aut certe unum o [nul] deficiat) Erfahrung, darinnen solte der Medicus nur sie sorgen lassen, und er um innerliche Verwahrung, (& ut hodie ῥητωρεύουσιν) Benehmung der Schärffe, bemühet seyn ꝛc. de qua re, priusquam amplius dicamus, dicendum adhuc aliquid venit, breviter & ut speramus perspicuè, de *ratione medicâ*.

XXII.

Dum fontem atque fundum hujus confusionis, assignamus *nudæ Empiriæ*, breviter dicendum est, de RATIONE *medicâ*, quæ *nudæ empiriæ* limites ponit. *Theoria Medica*, utique non est *praxis*; non inquam, *experientiam* nudam, sed *rationes* pervestigat: verùm, *cujus* rei? certè *Experientiæ* seu *experimenti*. Sicut omnis *scientia*, præsertim in *ordine cognoscendi*, versari debet circà *subjectum*, de quô, & cujus *rationes*, pervestigat & enucleat: nempe, ut in scholis loquuntur, (dum *scientia* dicitur, *cognitio rerum*, *secundum causas* suas) *causarum ordinem* in illâ *re*, pervestigat: ita certe nihil aliud quàm *experientia*, seu *experimentum practicum*, est illud *subjectum*, cujus *rationes*, (*respectus causales*) enucleare, est (*objectivè*, & tandem *systematico subjectivè*,) *Theoria medica*, ita certè fit, ut talis *theoria*, nempè *rationalis conceptus*, de tali *effectu experimentali*, non sit ipsum illud *experimentum*: sed certè tanquàm *subjectum*, præsupponat atque habeat, ipsum experimentum.

XXIII.

Interim, uti *nuda* atque ſimplex *Empiria*, ita ſimpliciter in *uno* experimento ſegniter acquieſcit, ut plures ejus & *multiplices circumſtantias*, nequaquàm ad animum revocet; ſed totum negotium, hoc intuitu communiſſime variè *compoſitum*, pro una ſimplici re, interpretetur: ita certè vera illa *rationalis* theoria, neque ipſa aliunde veriorem ſuum ortum trahere poteſt, quam ex ipſa *experientia*, ſed non ſolum *multiplici* (non *numero*, ſed ipſa *ſpecie*) *judicioſè* comparata. Ita, ut *Ratio medica*, nihil aliud ſit, quam *ſpeculativa*, ſed *vera* atque *firma*, rei veritati conſona, *connexio* & *concluſio*, è *comparatione* plurium *experientiarum* (repeto, non ſolum *numero*, ſed etiam *ſpecie*, diverſarum (experimentalium practicarum & *pragmaticarum*, veritatum. Quæ explicatio, ſi exquiſitè intelligatur, paucis certe comprehendi poterit; quod ſæpe prolixis ambagibus, magis impeditum, quàm expeditum redditur. Quod *Theoria medica*, omninò ſit *cognitio*, (non ſimpliciter experimentalis *memoria*, ſed) *rationalis verarum* cauſarum; ſed cujus *rei* cauſarum? Experientiæ, ſeu *expertarum veritatum*. Dum ex adverſo, ſi *theoria* aliqua, nudis *ſpeculationibus* ſuperſtruitur, neque de experimentali *veritate*, nec experimentali veritati reſpondens, vana neceſſario eſt, & tantò magis ſimpliciter imaginaria, quantò minus experimentali *veritati* quadret, aut illam exhaurit. Ubi nempè totum fundamentum, ſi qui hic committuntur, errorum, ſitum eſt in *inſcitiâ ordinis cauſarum*, è faſtidiô, & faſtuoſô contemtu, puerilium ſtudiorum, in ipſis trivialibus ſcholis, ubi hæ ſimplicitates diſcendæ fuerant, neglectorum. De qua re tragicè pronunciant Præceptores, quod *philoſophia contemtum ſui vindicet per totam vitam*, und was Hänßgen nicht lernet, lerne Hanß nimmermehr.

XXIV.

Indulgentia vero illa ſocors Medicorum, cui ſecun-

dam

dam culpam *confusionis* vulgaris, & temerariæ *arrogantiæ*, non tàm Chirurgorum (qui peritiores, satis frequenter etiam prudentiores se gerunt) quàm fastuosorum Tonsorum, assignavimus, quanta hîc sit, ne Respondenti invidiam conciliem, ego Præses, quamvis etiam sine ullius hominis injuria hoc dictum velim, provoco ad communem experientiam, non dicam singulorum conscientiam; quotusquisque quæso, è tantô Practicorum vulgarium numerô, cordi habet, nedum in numerato habet, scire, *Quid* sit, (nedum quare tale sit) Ungventum, ut vulgò vocant, *digestivum*, ad vulnera; *defensivum*, sive *emplasticum* male cohærens, sive *cataplasticum*: sive *epitheticum*: aut parium diversarum formularum, vel *Maturativum*, vel *Mundificativum*, vel in genere *travmaticum*, vulneri magis immediate adhiberi, uti solitum, ita creditum adhibendum: *Sarcoticum* & *Epuloticum*, sive *intempestive* & *præpostere*, sive *tempestive*, applicari, sive solitum, sive debitum? Quotusquisque, inquam, ita harum rerum, & conscius atque intelligens, & curiosus est, ut discretionem illam cordi habeat, *quomodo*, & *quousque*, remedia hæc, *specie*, *tempore*, & *subordinatione*, quasi jurata quadam credulitate, sine judicio ad quemlibet casum in individuo, Chirurgis necessaria visa, *reverà* talia existant? nedum, an non omnibus his scopis, (quamvis pro diversitate loci affecti,) & paucioribus & melioribus, speciebus atque formulis, satisfacere esset integrum? Nempè *Ratione*; omnibus modis hic magis consulenda; quàm juratis illis simpliciter *empiricis* formulis & subordinationibus, non solum *insistendo* atque *inhærendo*: sed etiàm sine exquisitô *judiciô* effectus, inconditam hanc methodum *prosequendo*.

XXV.

Ubi certè alia calamitas, nimium quàm frequenter, deinde premit Medicum practicum; quando vel *inconsulto* Medico, ipso Medico vel imperitiori Chirurgo eousque

totam

totam curam concredente, fine judiciosa *ratione*, nuda *empiria* perperam adhibita talia experimenta, vulnus in deteriorem ftatum adduxerunt; ut ex *inæquali* mundificatione, partialis *hyperfarcofis*, aut è vulnere *ulcus*, & in hoc (imprimis per temeraria *feptica*, aut neglectam *mundificationem æqualem* (*Sinus*; aut *Fiftula*: aut per Mercurialia acria feptica, latiores *Inflammationes*, aut *fpasmi* periculofi: aut (quam juftiffimè, imperitiæ, aut neglectui Chirurgorum, *Paracelfus* imputat,) *Synovia*: aut *Aridura* &c. fupervenerit, tunc demum Chirurgus, à Medicô confilium poftulet; & ille, quod antea depravatum & corruptum eft, in fe non fufcipere erubefcat; aut, dum fufcipit, ipfe minus harum rerum peritus, calumniam reportet, non folùm ab ægrô, fed maximè ab ipsô Chirurgô, audacter tunc utique caufante, Er hätte, so viel an ihm, gethan, aber die Zufälle wären so schwer, daß müste nun der Medicus verstehen. Ubi, fi Medicum ex illo latere, huic ufitatæ pathologiæ, arripere poteft, dieses käme von denen scharffen scorbutischen Säfften, und verderbten Geblüthe her, welches durch innerliche Artzneyen corrigiret werden müste: egregiè hic confonante *Paracelsô*, & mifera illa *Chymico-mechanica pathologia*, humorum *falinorum*, *ponticorum*, *aluminoforum*, & plane *fciffòrum* feu *fiffilis aluminis* genii, imò *relollaceorum* &c. tunc certe fi male exit totum negotium, in quem alium tunc recidit, tota malè cedentis negotii calumnia, quam in ipfum Medicum.

XXVI.

Ut itaque *Medica chirurgia* fuo juri atque ordini afferatur, affeveramus, quod five *inventio remediorum, exterius* quidem applicandorum, fed *crafeos humorum*, (intra folidas partes ftagnantium, aut jam ibidem *difcrafiam* atque *corruptelam* aliquam perpefforum,) *alterationi* quadrantium; aut jam inventarum talium *formularum*, jufta *ordinatio*, non Chirurgi *quà talis*, fed *Medici* judicio at-

que

que discretioni, propriè debeatur & *incumbat*. Cum enim, ad justum, & recte conveniens, tale medicamentum imperandum, tàm vera *species affectus*, quàm justum *tempus*, & subinde necessaria debita *subordinatio*, sit τὸ Θεωρητέον; cujus *æstimatio*, atque judiciosa *destinatio*, non simpliciter *peritiâ* chirurgica, sed *scientiâ* medica determinari debeat; elucescit hinc facile, utrum *Medico*, an *Chirurgo*, tum tempestiva *præscriptio*, tum justa *ordinatio*, harum rerum, adjudicanda, imò *demandanda*, veniat. Cum luce meridiana clarius sit, quod Chirurgi hæc negotia, vix non absolutè semper, non secundum *æstimationem* aliquam, atque prudentem *discretionem*, sed tanquam ad juratam *formulam*, sine circumstantiarum *dijudicatione*, administrent atque exsequantur. Quod nempe verum est fundamentum, ex probationis illius, quam vulgus ita passim Chirurgis objicit, ut quasi in proverbium abierit, die Barbiers halten die Schaden nur auf, machen sich viel daran zu thun, ja machen sie schlimmer, damit sie nur lang daran zu handthieren, und die Patienten ums Geld zu bringen haben. Ubi tamen frequentissime, cordatissimus quisque Medicus, vel juramentum credulitatis, salva conscientia, interponere posset, quod eventus tales, dum reverà obtingunt, non tàm à *malâ fide* Chirurgi, (quam vulgus hominum hac imputatione arguere videtur,) introducantur: sed simpliciter, ex *inscitiâ*, tàm verarum circumstantiarum, quibus talia remedia proprie deberentur: quàm ex *ignorantiâ*, quem directum effectum remedia talia exserere possint aut debeant: interim ex illa quasi possessione, dum nihilominus Chirurgi harum rerum usum, ita sui arbitrii faciunt, ut earum administrationem proprie ad se pertinere persuasi sint, & à suis Magistris in hunc sensum ita instituantur ac edoceantur, ut etiam pro reliqua sua, quasi per institutionem combibita, arrogante audacia, non dubitent Medicos ab harum rerum recte administrandarum consultatione, planè excludendos

censere: si qui verò, quos non plane deesse satis compertum habemus, longo usu, aut informatione idoneorum Medicorum, præcipuè verò simul judiciosa solertia has res melius *æstimare*, *intelligere*, atque *ordinate*, secundum repertas circumstantias, *administrare* didicerunt; adeò, ut illorum discretæ exsecutioni securiùs fidere, & patientes tales concredere, sit integrum: illos utique non simpliciter ut *Chirurgos*, sed ut *Medico-chirurgos* considerandos esse, in aprico est.

XXVII.

Ita enim, quando peritorum talium Medico-chirurgorum laudabilia documenta atque scripta expenduntur; *Fabricii ab Aquapendente*, *Fabricii Hildani*, *Sculteti*, & ex parte *Felicis Würtzii*, & similium: ante oculos utique est, quàm longè illi abfuerint, à *nudè Empiricis* illis, quasi juratis, paucorum officinalium, simpliciter quasi *statis* applicationibus: sed potius ipsi, certas *remediorum* formulas, denuò *præscripserint*; & horum etiam verum usum, non *empiricum*, sed *rationalem*, nempe certis circumstantiis & conditionibus affectuum, animo destinaverint.

XXVIII.

Ut res vel unô aut alterô exemplô illustretur, quis, nisi talium rerum planè hospes, nescit, quod triviales Chirurgi, frequentissimè ita dicto illo suo *Ungvento digestivo*, è *vitello ovorum*, *melle*, atque *Terebinthinâ*; in recentibus paulo *profundioribus*, & *dissimilares* aliquas partes afficientibus, vulneribus, diuturniore *continuatione*, nihil certius efficiant, quàm ut majorem *ardorem* in vulnere, majorem *inflammationem* per ambitum, copiosiorem *affluxum* (etiam per ipsum sensum *doloris*) & tandem majorem *acrimoniam*, & loco puris laudabilis, *Ichorum* serosorum proventum, & tandem vulneris in *ulcus* refractarium, conversionem invitent: adeoque non solùm opprobrium illud inde reportent, daß sie den Schaden nur aufhalten, sed planè, non sine

fundamento, arguantur, daß sie den Schaden schlimmer machen: nempe, licet vel maximè, quod facile largiar, sine mala fide; minimè tamen sine inscitia atque imprudentia veriore. Quæ res etiam tantò evidentior est, in partium *exsangvium* concurrente læsione, *Tendinum*, *Ligamentorum*, & hoc nomine *Articulationum*: qualibus cum *Mel* non quadret, sed concepta *fermentativâ* acrimonia, sensum acerbius exagitet, in promptu inde est exortus ille *fluxûs Synoviæ*, & tandem arrosio *ulcerosa* talium partium, & nimio difficilior inde restauratio consolidatoria. Ut reverà, quamvis rem è suis fundamentis verisimiliter ipse quoque non satis judicare potuerit, interim in genere nequaquàm vanus sit *Paracelsus*, dum *Synoviæ* provocationem & exasperationem, non tàm necessitati ipsorum vulnerum, quàm *imperitiæ*, potius *inscitiæ* atque *imprudentiæ*, *Chirurgi* imputare non dubitat. Adeò, ut in hac solennissima, & planè triviali ac veluti jurata remedii formula, multum tamen intersit judicare, ubi majus aut minus, additi *mellis* (ut in simplicioribus carneis vulneribus) minus autem *Terebinthinæ*, sit momentum, aut contrà. Dum vulgares Chirurgi, tantum abest ut intelligant, ut etiam nequidem credant, in tali re necessariam esse aliquam discretionem, sed speculabundis opinionibus nodum in scirpo quæri, interpretentur.

XXIX.

Ita, quid magis in ore & manibus est Chirurgorum vulgo, quam decantatum illud *Ungventum*, jam *fuscum*, jam *purpureum*, *Felicis Würtzii*? adeò, ut quando reliqua sua usitata artificia nihil proficere animadvertunt, ad hæc tanquam sacram anchoram non solùm confugiant, sed ita illis insistant, ut totum felicem curæ exitum ab his expectare non dubitent, nempè prorsus ignari, quod remedia illa, magis ad *abstersionem* solùm, seu moderatam *sepsin* destinata, nihil nisi *mundificationem*, non tàm *humorum* ulceroso-

rosorum, quam superficiei *solidæ* partis, inservire debeant, daß sie einen frischen Grund bekommen; *Continuatione* verò immoderatiore, non solum carnosarum *fibrarum*, & tantò magis *tendinosarum*, acriorem *irritationem*, sed etiam, imprimis *posteriorum*, *arrosionem* profundiorem exsequantur, cum omnium symptomatum nova exasperatione, novorum, *spasticorum* etiam, provocatione, *fungosarum* excrescentiarum superventu, imò ubi *ossa* denudata sunt, horum *denigratione*, & tandem planè *carie*. Quod idem valet, de variis aliis ejusmodi formulis, præsertim recentioris inventionis; ut, sine intellectu, quibus *specialibus* conditionibus eædem à suis authoribus destinatæ sint, nihil nisi absolutum experimentum generalis & universalis utilitatis in iisdem supponentes, non solùm frustrà iisdem utantur, sed etiam subindè damnum, incondito talium usu, introducant.

XXX.

Quorsum etiam, summo jure, referenda venit, non solùm solennis, sed etiam publica quasi autoritate, non tàm confirmata, quàm jàm tùm obfirmata, illa licentia, ut *Emplastra coquere*, adeò proprii *sui juris* esse interpretentur, ut etiam in magistralibus illis suorum Candidatorum docimasiis, tanquàm præcipuum specimen examinis sui, in hac coquinaria collocent. Dum interim, indolis specierum, ad gradum coctionis subindè valdè diversimodè se habentium, planè rudes, ad nihil aliud, totô suô arbitriô atque decretô approbationis, respiciunt & recontendunt, quàm ad verè chirurgicam, *manuariam*, Emplastri conditionem, nempè *consistentiam* ad *extendendum* super alutam, commodè tractabilem: sine ullô intellectu, an Crama tale vel habeat, vel intemeratas, sub illa coctione, *conservet*, *vires*, ad eum cui destinatur, effectum: neque ad animum revocantes, sed sæpè vel planè in ostentationem convertentes, quando per domesticam suam Emplastrorum talium

coctionem, *teneriores* atque *penetrantiores Gummi resinarum* portiones, ita in auras dissipantur, daß es die Nachbaren in ihren Häusern fühlen, wann der Barbier Pflaster kocht, oder Cataplasmata siedet.

XXXI.

Unde profectò, cum harum rerum justus intellectus, à Medico non solum minimè abesse debeat, sed illi potius propriè competat, imò incumbat; certè etiam hac in parte, tàm *Chirurgis* trivialibus non ita libera concedi deberet harum rerum licentia: quàm in ipsis *pharmacopoliis* inspectionem aliquam exerceri conveniret, ne tales præparationes imperite, aut potius minus scitè, peragerentur.

XXXII.

Quid verò, quod jam pridem etiam solertiores Practici, aurem imprimis vellicante Zwelffero, satis olfecerint, quam inconcinnæ sæpenumerò sint formulæ illæ variè consarcinatæ usualium Emplastrorum diversorum. Cujus rei duo illa exempla speciminis loco esse possunt, Emplastrum *Diachylon* simplex, & de *Ranis Vigonis cum Mercurio*. Dum enim prioris utilitas, in *mucilaginum* tenacitate quàm plurimum fundatur, ut *agglutinatis* quasi poris, cohibitâ transpiratione, *emollitio* subtus nascatur: ibi, dum hoc emplastrum sive domi apud *Chirurgos*, sive in *pharmacopoliis*, in majore quantitate coquitur, & coctum in repositoriis asservatur, intra aliquod temporis spatium ita *desiccatur*, ut plane amplius *tractabile* esse recuset, & scopum suum nequaquàm amplius attingat. Adeò, ut ad minimum quando aliqua ejus portio in usum vocari debet, non magis expediret, quàm necessarium planè esset, portionem aliquam præsentiori usui per modestam *recoctionem* adaptare: dum secus, frustrà deindè speratus effectus ab ipso expectatur.

XXXIII.

Emplastrum verò de *ranis Vigonis* cum Mercurio, dictum, magnâ fiduciâ inter Chirurgos celebre; licet non

solùm

ſolùm ratione *denominationis*, ab illis aliquot *ranis*, abſonuin, ſed certè totâ reliquâ compoſitione, inane: quis expectabit, ut à quolibet Chirurgo in effectum deducatur, ſive ſecundùm crudam illam deſcriptionem antiquiorem, (abſurdam illam *extinctionem* Mercurii *per ſalivam jejuni* hominis, imperantem, & à *Zwelffero* non immeritò deriſam) ſed etiam ſecundùm hujus ipſius *Zvvelfferi*, incaſſum operoſiorem, procedendi methodum, & ad ſuppoſitam efficaciam profectò inutilem, *ſolutionem Argenti vivi in aqua forti* aut *ſpiritu Nitri*. Dum nempè, ſicuti tota *Zvvelfferiana* animadverſio & inſtructio, reverà ſimpliciter *pharmaco-poëtica* eſt; nempè ſolùm, in ordine ad conciliandàm juſtam emplaſticam *conſiſtentiam*, & evitanda ſub commixtione incommoda, directa: ita tamen certè vix ab ullô Chirurgô, niſi aliàs *chymicarum* operationum mediocriter peritô, etiam hujus diverſi apparatus dextra adminiſtratio expectari meretur. Ut taceamus, quando jam etiam dexterrimè perfectum eſt, quod, præ longè *concinnioribus* aliis applicandi *formulis*, præcipua illa *deſtinatione* effectus Mercurialis, nucem caſſam valere non poſſit. Et ſimiles certè, tàm *præparationum* tricæ, quàm *uſuum* defectus, ulterius etiam facilè notari poſſunt, non ſolùm in varietate illâ numeroſâ multorum emplaſtrorum, ſed etiam in concinnitate præſcriptionum, intuitu, ut vocant ingredientium.

XXXIV.

Sicut autem præparandi dexteritas pro ſimilibus compoſitionibus, certè meliore jure de *pharmacopœis* exercitatis, præſumitur: ita æſtimatio *efficaciæ* præſcriptarum ſpecierum, à quô aliô, ullô jure, expectari debet, quàm à *Medicô*; cui nempe vera, imò *verax*, energia ſimplicium ſpecierum, cognita eſſe ſupponitur. Adeò, ut non ſolùm in *ſeligendis*, & ad præſentes caſus *præſcribendis*, his & ſimilibus remediis; ſed etiam in expendenda, & melius inſtru-

ſtruenda, *concinnitate* formularum, tum ad *conſiſtentiam* juſtam obtinendam, tum ad deſtinatum *effectum* obtinendum, non ſolum *propriè*, ſed certè *unicè*, à Medico expectari debeat præſidium.

XXXV.

Confidimus, aut certè bonô jure ſperamus, nemini grave futurum, ſi *fontem* omnium talium abuſuum, & alienorum auſuum, collocemus in Medicorum, paſſim obſervandorum, neglectu, *Chirurgicarum rerum in genere*: nempe, non ſolùm ad *dexteritatem manualem* & *mechanico-inſtrumentalem*, ſed etiam ad *efficaciam alterativam*, *pharmacevtico-therapevticam*, tàm rectè *diſcernendam*, quàm ſolerter *intelligendam* minus curioſo animo; & in, faſtuoſè paſſim jactata, *empirica* utrarumque harum rerum, tam peritiâ quam experientia *Chirurgorum*, acquieſcente. Ubi, cum evidentiſſimùm paſſim inveniatur, quomodo Chirurgi, è nudô & communiter craſſo, *non cauſæ ut cauſæ*, conceptu, experientiam illam de *efficacia* talium medicamentorum, ſibi atque Medicis nimium credulis, perſuadeant: ita uni huic fundamento utique ſuperſtructa eſt tota illa confidentia communium Chirurgorum, orali traditione propagata; primò quidem aliquantò modeſtior, zu dieſem Schaden, thut dieſes oder jenes Pflaſter, Ungvent, &c. ſonderlich gut: mox autem importunior, & ad diſceptationem usque, cum Medico dubio, aut minus vel attento, vel ipſo rectè perito, procedens, dieſes oder jenes Pflaſter, Ungvent, &c. muß hier gebrauchet werden: & ſi Medicum vel paululum hæſitantem animadvertant, da laſſe nur der Herr Doctor mich machen, das müſſen wir wiſſen, davor habe er keine Sorge, ſondern ſeye nur um innerliche Verordnung vor den Patienten bekümmert. Et paratiſſimi ſunt Jovem lapidem jurare, ſi, ex inconveniente, aut inſufficiente, tractatione, grandiori aut graviori *vulneri*, & *inflammationi* prævaleſcenti, *Febris vulneraria* accidat, nullam usquam *chirurgiæ* ſuæ, ſed

ſolius

folius *Medicinæ*, five non tempeftive *occupantis*, five non recte *efficacis*, agnofcendam effe culpam. Cum tamen, importunæ *Hæmorrhagiarum* cohibitioni, durch allerley Blut-Stillungen und Stopff-Pulver; fuccedens mox gravior atque grandior *inflammatio*, & tàm ab hâc, quam in ipfis vulneris labiis, exquifitior & perrennior *dolor*, *agrypnia*, *fpafticæ* fenfationes &c. non folum veri *auctores*, fed & infuper firmi *fomites*, *febrium* talium, communiffime exiftant: neque, nifi his rebus recte & fufficienter, per *externa* remedia, confultum fit, per *interna* ullum fufficiens operæ pretium, vel foleat fieri, vel omninò poffit.

XXXVI.

Quæ verò alia, quam fimpliciter nudæ *Empiriæ* fuperftructa, eft illa Chirurgorum familiaris audacia, in *decernendis* atque *coquendis*, *potionibus vulnerariis*? Quâ in re, ficuti profecto in ipfis Medicis practicis dogmatibus, maximoperè optanda effet, veritati confona peritior, inftructio atque inftitutio; ita certe nulli alteri rei, quàm huic defectui, affignanda venit, quafi neceffitas illa, harum rerum minus curiofis Practicis incumbens, ut confidenti illi Chirurgorum affeverationi, de fua circa talium artificiorum efficaciam experientia, totum negotium concredere neceffe habeat Medicus.

XXXVII.

Quam difficultatem, licet ab aliquot annis fublevare vifa fit experientia compofitæ illius aquæ vulnerariæ, quam imprimis Gallici Chirurgi, nomine *L'eau d'arquebufade* decantare cœperunt; tamen qualemcunque ejus, fub dextra præparatione non contemnendum, effectum, iterum paffim irritum reddit, & ad folam vanam expectationem repellit, conamen illud multorum Chirurgorum, Aquam hanc domi fuæ, fuis manibus præparandi. Cum enim totus cardo obtinendæ verius *efficacis* hujusmodi compofitæ aquæ, vertatur, in *fermentatione* debi-

ta

ta specierum, *ante* destillationem; cui effectui nimio plus quadrant, *recentes* adhuc, *succulentæ*, quàm *desiccatæ*, nedum in pharmacopoliis consenescentes & *effœtæ*, tales herbæ: fit certè ex harum rerum inscitiâ, ut hic etiam ausus, deinde bonam illam, imo prodigam, & negligenter securam, spem destituat, & fiduciam in hoc remedium repositam, aliis utilibus, imo necessariis subsidiis, interim neglectis, ad incitas redigat.

XXXIIX.

Cui rei, præterea, accedit, imprudens illa opinio, (quamvis dubitem an solis Chirurgis, certo tamen his, familiaris,) quasi aqua hujusmodi composita, præcipuam suam efficaciam quam maximè habeat in consistentia, seu *portione* hujus destillati liquoris, *spirituosa*, *ardente*; quæ interim ipsa consistentia, cum potius *adversetur*, non solum generaliore, sed potius universaliore, efficacia, specialibus illis scopis, quibus destinatur, *vulnerariis*, adversa; fit inde, ut minus peritè parata hæc aqua, scopo quoque suo nihil satisfaciat. Sicut enim equidem de totâ hâc scientiâ, nemo quicquam exegerit à Chirurgo, quà tali; ita tamen, saltem hâc occasione, moneri ad minimum meretur, quod utique error hic versari videatur, in male intellecta valde *diversa* indole, *spirituosarum* aquarum, per simplicem *abstractionem ardentium* spirituum, aut *vini spirituosi*: & contrà, per adornatam & præmissam justam *fermentationem*, parandarum. Ubi, cum priorum efficacia, utique ita innexa sit *ardenti* spirituosæ consistentiæ, ut ab ab illa facile separari non valeat; cum *aquosa* vero succedente portione, minimum ejus amplius subsequatur: ibi admodum diverso certe modo se habet res, cum aquis ejusmodi, quæ cum dextrè adornata *fermentatione prægressa*, præparantur; utpotè in quibus, non tam solum *Sulphureo-volatilis*, sed per justam *fermentationem*, cum tenerrima *salina* substantia subagitata, adeoque etiam *aquositati*

tati adhuc *sociabilis*, *crasis*, obtinetur. Quod vel foliis herbæ *Veronicæ*, recte ita fermentando præparatæ, aqua, posterior, de spiritu primô prodeunte vix quicquam amplius participans, *sapidissima* tamen atque affatim *odorata*, manifestum reddere potest. Quod per occasionem dixisse suffecerit.

XXXIX.

Sicut autem, tàm in *vulneribus compositis*, nempe, juxtà cum *carnosis*, etiam *tendinosas* aut *ligamentosas*, aut *glandulosas*, partes complexis; quàm in *ulceribus*, præsertim per sinistra artificia ad *degenerem* indolem devolutis: æquè, atque *symptomatibus*, per sinistros ausus, ex obliquo introductis: serò tandem, peritioris alicujus Medici consilium flagitare, paulo adhuc moderatiores Chirurgi, non utique obliviscuntur: Ita, aprico interim positum est, quod prægressa illa fiducia male fundata sui ipsius, non solum frequentissimè in certa culpa sit, quamobrem deteriores tales conditiones atque constitutiones, talibus læsionibus supervenerint: sed etiam immenso intervallo inter se distent, *facultas*, nedum *facilitas*, deteriores tales successus, statim à principiô instituta, aut conquisita, bene fundatâ, tractandi methodo, evitandi, aut *præoccupandi*: & serò deinde, graviter jam perversas res, *corrigendi*, & in *ordinem*, nedum *in integrum*, restituendi.

XL.

Cum enim hujusmodi læsionum salutaris cura, non *instrumentis manuariis*, sed *remediis pharmaceuticis*, quàm maximè inniti debeat; quorum verior *efficacia*, & *utendi* modus, à Chirurgô nequidem ab ullô prudente exigitur: postularet certe totius rei indoles & ægrorum necessitas, ut *Chirurgis* severè interdiceretur, à suscipiendis talium affectuum curis, sine *Medici* tempestivo plane consilio, in præsidium potius, quam subsidium adscito.

XLI.

Valet hoc tantò magis, in affectibus ita rarius evenientibus, ut facilè fieri possit, ut casu in terminis, Chirurgo, quamvis aliàs in praxi suâ constituto, vix per totam vitam suam offerantur. Cujus rei exemplum afferre placet, quod qualiscunque tandem momenti sit, prudentibus arbitris relinquimus. „Apice crassioris cultri, quô dapes profecari consueverunt, einem Trenchier-Messer, fortius vibrati, inflictum est vulnus per transversum ungvis „pollicis, si longitudo ejus ungvis in partes quatuor distinguatur circiter in ultimâ hujus divisionis notâ, versus articulum pollicis; Fœmina tenerior, dum medullam ossis, quod sinistra manu tenebat, acutiore cuspide cultelli scrutatur, incautâ aberratione, cuspide in pollicem irrumpente, secat ungvem, per longitudinem, latere ejus indicem respiciente: prius autem illud vulnus per transversum inflictum, facile æquabat profunditate, mediocris „stipulæ stramineæ latitudinem. Sensus statim succedebat „utrinque, admodum acutus, in Viro non solum ad cubitum, sed propemodum ad humerum excurrens, sicuti „Fœmina quamvis etiam terroris partibus concurrentibus „lipothymiam incurrit. Fateor curiositatem sciendi, quid „medicationis hic suasurus esset, peritior quilibet Chirurgus; quid ominaturus de symptomatibus, satis probabiliter si non expectandis, certe metuendis: quid judicaturus de decursu & successu, usque ad plenam restitutionem, & de tempore ad hanc (licet ungvis non sperando „coalitu, seposito) præfiniendo. Missis tamen his, feram „saltem conditiones. 1.) Quô remediô, sic affectam, ita „sensibilissimam, partem (subtextam ungvi) instruere vellet, „atque imbuere, ut *dolor* vix decima sexta horæ parte, momentaneis decrementis, ita conquiescat, ut, sine rudiore „attactu, planè nullus sentiatur. 2.) Nulla *alteratio*, sive „*saniosa*, sive *ichorosa*, aut ullius generis *abscessio*, sequatur.

„3.) De-

3.) Decrescentibus indies, etiam exquisitioris sensus ab at-„ tactu reliquiis, quicquid, præter ipsum durum ungvem,„ vulneratum erat, sex circiter dierum spatio, *in integrum*,„ restituatur, & sanetur. 4.) Non nisi *unô eodemque* reme-„ diô, simpliciter *continuato*: 5.) Quod, præterquam quod,„ *euporiston* sit, & vix fieri possit ut non ubilibet inveniri,„ valeat: 6.) Præterea vix *tres nummos*, dico sex obolos, de-„ poscat, cum passim etiam fieri possit, ut gratis obtineatur.„ Puto me satis certum esse posse, quod plerique, & vix er-„ ravero, si dicam omnes, Chirurgi, problema hoc vel joco,„ superstrui, vel cavillationi, vel notitiæ arcani cujusdam,„ specifici, arbitraturi sint; interim assevero Ego Præses, qui,„ has curationes, & certe in corporibus ubi quam maximè,„ meâ intererat, peregi, vulnera hæc, exquisitissimè secun-„ dũ conditiones has, sanata sciam, sine ullô incommodô. To-„ tum autem remedium, sine ulla aliâ manuali dexteritate,„ seu chirurgiâ, nihil aliud fuit, quàm ut pollex, abstersô,„ ad siccitatem cruore, & vulnere dimidia guttula olei Tere-„ binthinæ imbuto, intingeretur ad plenariam cooperturam,„ vulneris, ceræ flavæ molliter liquatæ; & ita servaretur o-„ pertura hæc per tot dies: admissa, per priores dies, dum,„ cera non nihil dehiscit à digitô, guttula dicti olei, semel,„ aut bis per diem: firmato interim operculo, per deliga-„ tionem, nihil ulterius artificiosam, quàm ne decidere pos-„ set. Ita certè, quicquid etiam imperitiores de his exem-„ plis sentire possint, tamen peritiores, quod de chirurgis,„ quibusdam dicere possum, vel ad solam auditam vulnera-„ tionis talis historiam, non fastuosè, sed fastidiosè affici,„ potuerint, & non solum varias difficultates curationis, sed,„ varia pericula, certissimè verò eximias etiam molestias, &„ incommodissimos progressus, quasi præsagire.„

XLII.

Ut adhuc unum exemplum, etiam in simpliciùs chir-„ urgicis, sed tamen *rationis* physico-medicæ cynosuram,„

„requirentibus, affectibus, adducamus, recenseo sequen„tem casum. Vulneratus erat, homo quidam in pede circà talum, alius in brachio circà carpum; hic ferro, ille „grandine plumbea. Utrique læsa erat arteria, & imprimis „in priore etiam ad conspectum usque in propatulo appa„rens, ubi nempe dilucescebat, quod vulnerata solum sit, „non discissa penitùs. Gerebant ægrorum curam Chirurgi „singuli, mox bini, procedebant reliqua non ita æque in de„terius, sed insuperabile symptoma erat incoercibilis Hæ„morrhagia, grandia illa incommoda objiciens, quod (inu„tilibus insuper) adstringentibus medicamentis, diuturna, „ut in tali casu solent, deligatione sine solutione interposita, „& ligatura insuper forti compressoria, reliquæ constitu„tioni vulneris non modo rectè non consuli posset, sed a„ctu illa inde etiam in deterius conjiceretur. Quod tandem „æstimantes, tam ipsi, quam ulterius in consultationem ac„cincti plures Chirurgi, auxilium petierunt ab adustione „arteriæ per candens ferrum, unde momentanea restrictio„ne secuta, mox tamen sanguis iterum erupit, & per fasci„as defluxit. Ille qui in manu læsus fuerat, per vices pro„rumpentibus hæmorrhagiis exhaustus, obdormivit.„

XLIII.

Qui pedis vulnus tolerabat, cum multorum jam dierum periodis, machinas illas perrumpentibus hæmorrhagiis, similiter totus deficiens, foras spectaret, quasi aliud agendo, tentabundus, casum mihi Præsidi proponit Chirurgorum unus, quem ita instruxi. Non est Chirurgorum, vulnera arteriarum, cum insigni adjacentium partium convulneratione conjuncta, simpliciter in se recipere. *Ratio*, quia quæstio hic est, vel de *Therapia arteriæ consolidatoria*; vel de alio *consilio*, illi arteriæ *therapiæ* succenturiando. Therapia *consolidatoria*, non est in potestate *artis pharmaceuticæ*, nedum *chirurgicæ*, sed solius *naturæ*; in arteriæ autem læsione *simplicissima*, unicè juvari potest, *forti diuturna*

com-

compressione: quæ cum in *conjuncto vulnere* locum non inveniat, *medicamenta* vero, per vim *erumpentis* sanguinis, inania hîc sint, quæcunque vulgo nota atque usitata sunt, (uno solo, hodiè innotescere incipiente, non quidem excipiendo simpliciter, sed tamen nec absolutè, ut omnia reliqua, ab omni bonâ spe excludendo,) nihil ita restat, nisi ut aliûs auxilii consilium quæratur. Hujus tamdiu impotes sunt, quicunque vulneris *arteriæ*, vel *consolidationem*, (sub hisce circumstantiis) adhuc sperant; vel *hæmorrhagiam* è vulnere *arteriæ, non consolidando*, sine præjudicio reliqui communis *vulneris*, machinantur compescere: unde ab altiore *ratione* petendum est consilium. Quod interim, si non *maturè* fit, & in effectum deducitur; postequam jam æger hæmorrhagiis totus confectus est, & reliquum vulnus, pro altero scopo, inutilibus machinamentis, tàm mechanicis quam pharmacevticis, in pessimum statum devolutum est: deficit etiam *pragmatica* consilii efficacia & utilitas. *Arteria* itaque grandiuscula, (nam in *teneras*, physicè vix cadit) *vulnerata*, una cum reliquo vulnere, quod compressionem arteriæ firmiorem, usque ad spontaneam ejus consolidationem (plurium dierum opus) non permittat (&, si unicum illud refugium, probabilissimè non satisfaciat,) absoluta necessitate penitus *discindenda* est, cum decente ligatura.

XLIV.

Antè omnia verò, *pessimo consilio* ulla grandiora vasa, absolutissime verò *arteriæ*, *inuruntur*. Cum enim *ustio*, portionem tunicæ vasis corrumpat; hæc vero non solum in *membranaceis* textis in genere, sed tanto magis in *canalibus*, humores motu impulsos continentibus, vix, imò dicere audeo nunquàm, nedum citò, renascendo expleatur & resarciatur, (ut de necessariis *abstersionibus labiorum* nihil ultra cogitemus,) manifestum hinc est, quod *ustio* hîc penitus *irreparabile* inferat damnum; si ullum aliud alicujus spei adhuc compareret crepusculum. Imò, cum consultò *disse-*

ctæ prorſus arteriæ, extremitas, coaleſcere nunquam poſſit, quamdiu ab *uſtione* quicquam adhuc alterationis retinet; facit peſſimum hoc conſilium, etiam illud unicum auxilium, vel prorſus irritum, vel nimio difficilius. Quod hic etiam factum eſſe auguror, nam de eventu, imò nequidem in effectum deducto hoc conſilio diſſectionis, non ſum certior factus. Interim ita moriuntur ægri, ut ſine conſiliô, aliunde certè quam ab inſtrumentali & manuali peritiâ aut promptitudine, præſertim reſpectu abſolutæ ejus neceſſitatis, petendo; ita ſine auxiliô idoneô, præſertim unico, inter multa licet alia, irrita, quia aliena.

XLV.

Quid verò aliud, quam per totam propemodum Europam, notisſimus hodie eſt abuſus, temerariæ confuſionis *Medicæ Therapevticæ* praxeos, cum adminiſtratione ſincerius *chirurgica*; auſus ille, quorumlibet propemodum Tonſorum, quô *Salivationem*, tanquam ſimpliciter *Empiricâ* methodo, imò potius *Amethodia*, ſine diſcrimine perſonalium æque atque realium circumſtantiarum, exercere nusquam dubitant. Non ſolum planè ignari, ſed & hoc ſalvâ reliqua ſua Chirurgica peritia, (utpote ad quam hæc res planè neutiquam pertinet, neque propterea etiam ab ullo prudente homine ab ipſis expectatur, nedum exigitur,) ignari, inquam, quibus *conditionibus* & veluti *gradibus morbi* verè *venerei*, *Salivatio* conveniat atque quadret? ignari, quibus *pharmacevticis*, *therapevticis præparationibus*, corpus ad liberum & æqualem ejus *ſucceſſum* prædiſponendum veniat: ignari, quo *rationali ordine*, atque *proceſſu*, placido & ſuccesſivo, *commotio ſalivatoria* inſtruenda veniat: ignari, quâ neceſſariâ methodô *pharmacevticâ*, & *conſiliô* atque *regimine* therapevticô, ſucceſſus ejus foveri, atque placidè promoveri debeat: ignari, *quantum* & *quousque*, ſecundum ſubjectorum diverſitatem, illa vel *impelli*, vel *continuari* debeat: Ignari, quomodo illa ad *exitum* atque *ceſſationem*, vel

per-

perduci, vel *permitti* debeat &c. non solum *præpostere*, sed omninò etiam *importunè*, quin temerariè, totum hoc negotium *suscipiendo*, præcipiti impulsu *exagitando*, & sine præsidiis atque subsidiis justis, *prosequendo*, certissimè longè gravioribus, quàm natura rei ferebat, *incommodis*, sæpissime vero etiam *periculis*, imò *funestis* eventibus, aut ad minimum *irreparabilibus damnis*, ægros subjiciunt.

XLVI.

Unde serò deinde in *Medicum*, onus illud rejiciunt, ut ille res graviter *turbatas*, aut *pessumdatas*, *in integrum* restituendas, in se suscipiat; quando alibi, ab *interne* exhibitis Mercurialibus neque ipsis rectè *præparatis*, aut ad tales usus temerè applicandis, *anxietates præcordiorum*, *tormina atrocia*, *inflammatoria*, *convulsiva*, *vomitus efferi*, *DiarrhϾ* &c. nulla apparente Salivatione, cooriuntur; repentinò *infarctu*, non solum *Gingivæ*, sed ipsæ *faucium angustiæ*, *impetu* repentinò *inferciuntur*, *inflantur*, *inflammantur*, *finduntur*, *ulcerantur*, ut inter levissima damna sint, *dentium denigrationes & casus*: quando ægri in *strangulatoriæ* suffocationis periculum inciderunt, *collum*, imò totum *caput*, intumescit, *visûs* & *auditûs* damna eveniunt, aut *paralytodes* impotentiæ in aliquod membrum incidunt, aut *tremores perpetui* remanent: ægri, per longum temporis spatium, *enervati*, *pallidi*, *atrophico-hectici*, remanent. In *fœminis*, neque habita est ratio, *instantium*, aut *superventurorum Mensium*, neque *moderamen* aliquod ad hanc circumstantiam directum. Nullum justum & conveniens *regimen*, neque *præscriptum*, neque sub quotidianâ conversatione examinatum, & ab illis exactum, circa moderamen *caloris* & *frigoris*, & *aëris liberi* &c.

XLVII.

Quæ omnia, cum notoriè sic se habeant, monstri simile est, neque ipsos tales artifices μετανοεῖν seu cogitatione de harum rerum causis & cautelis tangi; sed potius qualitercunque felicioribus tandem eventibus, neglectô *incom-*

modisſimô decurſ9 ſucceſſu (in *robuſtioribus* & *patientioribus* ſubjectis,) mordicùs inhærentes, ſiniſtrorum ſucceſſuum & eventuum ſuam aliquam hic culpam, præfractè negare: ſed etiam à Therapevtarum *Medicorum* chorô, non ſolùm in genere minus coërceri, & malorum talium effectuum recente remonſtratione, in viam cogi: ſed vel plane *conſentientibus* cum ipſis, non ſolùm *intempeſtivâ*, ſed etiam in ſe communiſſime *falsâ* illâ excuſatione obfirmari, quod moleſtiores & pejores tales eventus ab individui *cacochymiâ*, præſertim ſtolida illa, *ſcorbutica*, per accidens, (nempe reſpectu inſontis *ſalivationis*, tam perversè inſtitutæ) ortum ſuum traxerint. Cum, ſi nihil aliud, illud certè totum hunc ſyncretiſmum perpetuo premat, quod proinde antea recte judicari debuiſſet *præſentia* talis *cacochymiæ*; quâ deprehensâ, aut non dum ſatis *præreptâ* atque *remotâ*, nequaquam audere conveniſſet, hujusmodi medicatione ægrum talem aggredi, eumque ita in hæc pericula atque damna conjicere. Ut ita certè etiam in hoc negotio, rectiſſimè *Medico-therapevticæ* ſubordinationi, chirurgia, nempe applicatio atque juſta obſervatio ſalivationis adminiſtrandæ, ſerio & ſevere ſubjici deberet.

XLVIII.

Neque verò etiam illa Chirurgorum ἀλλοτρίωσις practica, leviorem cenſuram meretur, quando non ſolùm in genere, *cauſticis* atque *ſepticis*, verus ſit *locus*, *uſus*, imò iisdem *opus*: ſed etiam, ubi vel *utilia* vel ſolum *tolerabilia*, ſint *mercurialia ſeptica*? utpote quæ in *venereis* affectibus veris, longè innocentiora, (ſub prudente ſolum uſu) aliis caſibus vix usquam propemodùm *tolerabilia*, & *periculo*, quin eventui, damni obnoxia, demonſtrat circumſpecta experientia.

XLIX.

Solent hic, imprimis verò circa *Salivationem* decernendam & exercendam, tàm Chirurgorum audaciores, quam

alii

alii paris in hoc genere proterviæ, (qualibus certè non modo scatet, sed planè squalet hodierna sub praxeos medicæ prætextu, grassandi licentia,) ad omnem temeritatem prompti, salutaria monita eô prætextu aspernari, quod *temeritas* in his rebus, non aliunde ipsis objiciatur, nisi à *timiditate*, in similibus negotiis rariùs, aut scrupulosiùs versatorum; cum, licet utique multi ipsorum ad propriam experientiam tam locupletem temerè provocare non valeant, tamen è communi, & velut *universaliore*, protestentur, quod sub tam familiari, & quantum vel ipsi non diffitentur, passim *incondito* atque audaci, *salivationis* exercitio, tamen immensum quantum minor observerur numerus, ubi *ingentia pericula*, aut tanta censura digna, *damna*, observentur. *Interdum populus rectum videt, est ubi peccat.* In genere quidem, non contemnenda est hæc animadversio; & recordamur, D. D. Præsidem hâc ipsâ, tanquam *argumento* non rejiculo, usum esse, adversus nimium liberales, & præsertim in hypothesi pessimi exempli, declamationes, adversus *generales*, tanquam justissime suspectas, imò planè accusandas, & à post facto, graviorum quorundam eventuum, tanquàm pro directis causis allegandas, *malignas* energias argenti vivi, sub quocunque tandem præparationis schemate, & quocunque etiam modo, illud adhibeatur. Contrà quales insimulationes, nervum habet certè firmissimum, *argumentum*, petitum à *rarioribus*, imò si rectè res æstimetur, *rarissimis* talibus, vel solum in *analogica proportione*, similibus, eventibus, etiam à mercurialium medicationum inconditô prorsus abusu. Sed hoc non ferit illum scopum, ad quem nostri causarii collineant; quandoquidem in hoc suo cœpto, *duobus* modis graviter aberrant, imò *tribus* potiùs. I.) enim illud propius ad quæstionem pertinet, si vel maximè *rariùs* valde sinistri eventus obtingerent, annon tamen illi à male institutô *salivationis* usu pendeant? jam verò valet, sanô sensu, illud Senecæ, *Quod cuiquam potest accidere, potest etiam cuivis*: nempe, non de *universalitate* effectus seu *actus*, sed tamen *eventus* seu potentiæ, validâ assertione. II.) Adhuc propius ad quæstionem illud pertinet, an, ubi utique ad totam negotii summam

& exitum, non tantum redundat damnum: tamen ad *decursum* totius negotii, *symptomata* inquam, sub *progressu* Salivationis; non rarò, sed certè longè sæpissime, hoc pertineat, ut ægris hæc medicatio non solùm nimiò *molestior* eveniat, sed etiam gratuitis multis acerbioribus symptomatibus stipetur, ab incondita illa *administrandi* ratione, quod nequaquam eveniret, si rectè potius omnia agerentur. Id quod sœpenumerò, non solum in hôc incommodô subsistit, sed etiam, & plus negotii chirurgo facessit, & majoribus sumtibus, (præter *erosiones faucium, uvulæ, palati, casum*, aut ad minimum *corruptelam, dentium* &c.) ægrum onerat. III.) Quod quidem prudente æstimatione est dignissimum, etiam ipsa hæc observatio, tanquam in genere fallit, si vel maximè illâ non intendant fallere, ipsos allegantes; dum *raritas* illa gravissimorum affectuum, plurimum debet *diversitati* subjectorum; dum nempe magnus ille numerus, in quibus etiam licentiùs exercita Salivatio, tam eminentes & gravissimos malos effectus non producit, complectitur *plebejos* homines, *robustioris* indolis atque assuetudinis, de *militum gregariorum, nautarum, opificum*, turbâ: cum quibus paria facere *teneriores, delicatiores*, in otiosiore vitæ genere, & lautâ diæta constitutos, non nisi imperitissimus jusserit, aut hoc ab his expectaverit. Unde, cum tales *posteriores* imprimis, *Medicorum* consilia & auxilia, & possint & soleant in subsidium advocare; meritò certè cautela adhibenda est, ne tam imprudenter, quàm planè impudenter & malitiosè, res suas, è tali ægrorũ *valdè diversâ* constitutione pejus cedentes, adeoq; indiscreti usus vitio, ita evenientes, audaculi tales laborent in ipsius *Medici concursum* rejicere: dergleichen seye ihnen sonst nicht begegnet, wo sie ihre Sachen alleine machen können, stehe dahin, wie die dabey gebrauchte Artzneyen damit einstimmen, und sich zur Sache schicken. Quod quidem non absolutâ injuriâ practicis Medicis obtingit, quando illi simul in consilium adhibiti, omnia alia potius agunt, quam ut directè curæ habeant, Chirurgi ausibus moderandis atque recte ordinandis invigilare: siquidem illud reverà verum est, quod, quicquid extrà, aut ultrà hunc scopum, simul cum reliqua, imprimis *inconditâ, salivationis* administratione,

age-

agere suscipiunt, illud reverà propius esse possit, turbando ulterius, quam aliunde sublevando aut juvando, toti morbo.

L.

Essent plura certè *Casuum* chirurgicorum exempla, quæ omninò digna essent planiore, ex his fundamentis demonstratione; sed cum intuitu propositi nostri, de *Medicæ chirurgiæ in genere* consideratione, jam his etiam exemplis abundè egisse videri possimus, cuivis potius prudenti arbitrio, illud non magis relinquimus, quàm omninò commendamus. Illud adhuc consideratione solertiore dignum judicantes, quod ad exceptionem *timiditatis* attinet. Institutum certè est, propter evidentem *necessitatem* magis, quam solum *utilitatem*, omnibus modis optabile, imprimis pro eximio usu *militarium* corporum atque cœtuum, ut *Chirurgica* hinc inde *schola* aliqua, eminentiorum hujus mundi Potestatum gloriosa munificentia, erigeretur; cum autem ad laudatissimum hujusmodi institutum, prima propemodum ratio habenda veniat *subjectorum*, tali studio idoneorum: proxima verò, *institutionis*, ad indolem atque scopum subjectorum talium, probe proportionatæ: Asseveramus itaque, quod ad *discendam* Chirurgiam, *strictè* dictam, inquam, *timida*, *anxia*, *dubia*, *tarda*, *speculabunda*, indoles, prorsus sit inepta. Et licet *temeritas*, & *præsentia animi*, atque *promptitudo*, tantundem, quantum *temeraria confidentia*, & *justa sui fiducia*, nempe multis parasangis, inter se distent: tamen, si hic aliquid, (ut sunt res humanæ, à mediocritate ad stateram, alieniores,) concedendum hic sit, præstat utique, ad *mediocrem* inclinationem in audaciam, respicere, quam *timiditatem* aut *tarditatem* eligere, aut illi favere. Protestamur autem solenniter, ne quod de *strictè* dicta Chirurgia, nempe *artificiosa manuali*, & *mechanico-instrumentali* exercitio, intellectum volumus, ad confusam illam *therapevtico-chirurgicam audaciam*, extendatur.

LI.

Ut hujus rei explanationi lucem aliquam affundamus, judicamus auro contra carum esse, in hoc scriptorum genere, *Marci Aurelii Severini* opus, *de efficaci Medicinâ*; in comparatione ad

Fabriciorum, & plerorumque aliorum, labores. Certe enim, quando *Severini* commentarios legas, nisi timidissimus fueris, fiduciam inde aliquam assequaris, ad minimum ad decernendum, (modo semper sit ad manus, quæ dextrè adsequatur, manus,) τὸ *Ure*, *Seca*; &, justa æstimatione, præ alacritate, risum ille subinde, prudentem tamen, movere possit lectori, quando sine ambagibus, & quod Galli loquuntur, sans façon, *secare* jubet, *resecare*, & *abscindere*, *exstirpare*, aut *ferro candente urere*: Totus profectò *strictè* dictæ Chirurgiæ *Chiron* verus, atque *stator*. Ad cujus ductum si *Chirurgica* schola instruatur, non poterit felici *dogmate* destitui, usque ad *habitum exercitatione* ipsa manuali acquirendū.

LII.

Dum, exadverso, reliqui, (nec ipso *Sculteto*, ad *strictam* chirurgiam de cœtero, sano sensu, etiam magis adhuc laudabili Doctore, excepto,) dum velut de professo, *Medicam*, *manuali* chirurgiæ, sine discrimine sociant, Chirurgis quà talibus offendiculo profectò sunt; adeoque scripta illorum, prout jacent, *Medicinæ* studioso, & *praxeos Candidato* & *cultori*, summopere commendanda, è Chirurgorum, quà talium, manibus, potiùs excutienda veniunt. Siquidem hos, præsumtuosæ illi omnia complectendi vanitati jam sponte paratos, præter intentionem Autorum, ad nudam atque indiscretam, talium rerum *Empiriam*, ita invitant, ut postea autoritate talium Præceptorum, adversus omnia meliora monita, veluti cataphracti obsistant. Quæ res an aliquo, & quanto, fundamento nitatur, omnium peritorum Practicorum judicio commendamus.

LIII.

Sicut autem ex hujusmodi doctis laboribus, & quicunque ad horum ductum ulteriùs instituuntur, *scientia*, *strictè* dicto Chirurgo necessaria, utique conquiri potest; *qualibus* affectibus, *quomodo* constitutis, *quæ opera* chirurgica, debeatur, & *quo tempore* atque *ordine*, illa exercenda veniat: Ita tamen longè paucissimorum utique ingeniorum illud est negotium, non solùm è *dictis* atque *scriptis*, sed, licet maximè *commendandis*, omni de reliquo linguâ potioribus, *præfigurationibus* illis & *picturis*, præter modo

do dicta, ad ipsam *manu* aut *instrumento* operandi, *dexteritatem*, aliquid, subsumere aut colligere, quod *pragmaticæ* executioni satisfaciat. Utpote quod sine controversiâ, tantum *ocularis*, è præmonstratione, *inspectionis*, manu propria *imitationis*, *tentaminis*, & tandem *habitualis* dexteritatis, est negotium. In quo proinde, æquissimo certè animo, & penitus scientes atque volentes, *Chirurgis peritis* hîc cedent Medici; quamvis *scientificè*, & per *theoriam* & *mentalem præfigurationem*, harum rerum affatim intelligentes. Et erit hîc omninò labor, in *schola Chirurgica* instituenda, Chirurgis non tantum liberaliter *relinquendus*, sed *assignandus*, imò autoritate Medicorum *muniendus*, pro *exercitatis* Chirurgiæ *Magistris*, ut has res *doceant* discipulos suos, nedum ipsi illas, cum laude & assensu Medicorum, exerceant.

LIV.

Ubi profectò locum habet, in tempore & loco, si aliàs minus in promptu esset, *excusatio* illa, quin, in casu, *admonitio* talium Chirurgorum, ne Medicus, minus ab experientia æque atque ratione instructus, omnia ad *fibras* atque *lineas* metiendo, ridiculos dextris talibus practicis scrupulos injiciat, aut ipse solus sentiat. Sicuti profectò talium rerum inconsiderantia, non rarò, vel tacito, derisui Chirurgorum exponit Medicos. Cujus rei statim, etiam ex supra jam allegatis, exemplum exhibere possem Præses; ubi Medicus, per rationes alii potius suæ indoli quàm medicæ functioni, innixas, de grandi atque periculoso vulnere, superciliosiùs judicare, cum illud minimè vidisset, sibi indulgens, occasionem præbuit Chirurgo curam ejus rei gerenti, ut ægrum, jam ad eum statum restitutum, ut tutò in liberum aërem prodire posset, ad Medicum adduceret, rogans, ut ex præsenti adhuc vulneris constitutione, de primis ejus, jam præteritis, conditionibus, prudentem æstimationem comparativam, instituere, in se suscipiat; ubi Medicus religati vulneris talem constitutionem aspiciens, non modo exterritus sese avertendo, sed planè in proximum conclave abeundo, & deligare solum iterum jubendo, chirurgum, (& cujusvis arbitrio relinquo quo jure) suspicari fecit, præsertim gestibus conspirantibus,

der Herr Doctor müste etwas weichhertzig seyn, und vielleicht dieser Art Wunden nicht viel gesehen haben, und hätte besser gethan, er hätte nicht vorhero so verächtlich davon geredet, und sie so geringe, pro sua autoritate, declariret. Unde aureum illud, *Suumcuique*, uti semper, certè etiam hic habet locum.

LV.

Exquisita verò profectò prudentia, & nusquam Chirurgis, sed Medicis, verum & *scientia* & *peritia*, & ex his junctis *prudentia*, pollentibus, commendandum illud est negotium; cui, sed nusquam sufficienter *limitato*, superstructa est tota illa confusio, in qua extricanda laboravit hucusque nostra Dissertatio, ut, quia minimè ad hunc diem perfectum est, in illud consilia conferant, quousque Chirurgis etiam, *insinuari* possit, & ita demum deinde *concredi*, in necessitatis casibus, *Medica Chirurgia*, seu *therapia Chirurgica*. Id quod commodissime, sed brevibus longa dicendo, duobus modis fieri posse, judicamus. I.) Ut ipsis talia medicamenta *externa*, *definiantur*, quibus, sine aliquo damno, & *heterocliti* effectus aut eventus, justo metu, uti possint. Sed II.) hoc solum tantisper, donec quantocyus Medici consilium in subsidium vocaverint, & autorem illum nacti sint, quid ultra agendum: ne sibi sumant, totum negotium soli, non solùm prosequi, sed prorsus exequi.

LVI.

Odiosa, quamvis infausto sidere, sed utinam otiosa sit, est illa Chirurgorum, (prout jacent res,) exceptio, nam non possum sincerè dicere cavillatio, *Quid si in Medico parum sit præsidii?* Unde, cum rectissimè, & aureo monito dicat, *Chrysostomus* ille *moralis*, *Seneca*: *Cum vitiis dico convitium*, *cumprimis meis dico*; profectò ex nullô aliô, quam medullitùs sincerô affectu, hoc moneo atque obtestor, Præses, ut, dum de *Medicæ Chirurgiæ* seriâ discretione, à simplici *manuali* & *mechanica*, aliquid constituendum est, *Medici Medicam Chirurgiam* ita cordi habeant, *ut sit in illis*, quod profecto est in arte, *præsidium*: ne, dum deinde de corpore delicti oritur altercatio, apud prudentiores facilè sit judicium, ubi delituerit error; & an reverà, (quod cer-

certè locum habet, si *serò* consulatur Medicus,) Chirurgi præsumtuosæ negligentiæ tribuenda veniat culpa: an verò Medicus, quocunque tamdem tempore advocatus, nulla alia probatione, quam sola voce, chirurgo exprobrare possit, er sey nicht recht mit dem Schaden umgegangen: & sicubi testatum reddere jubeatur, nihil aliud allegare possit, quam ad summùm experientiam, er habe wol ehe einen solchen Schaden gesehen, der glücklich von einem mehr erfahrnen Chirurgo curiret worden sey. Quæ res cum sit *facti*, in *processu* parum habet momenti; siquidem exceptio circumstantiarum diversarum, ut in promptu est, ita, nisi alia adferantur documenta, præsumtionem largitur Chirurgo, contra Medicum.

LVII.

Unde, ut tandem ad finem perveniamus, commendamus meritò omnibus, Medicinæ seriam operam navare paratis, ut cum reliquæ *pharmaceutico-therapevticæ*, eminentius dictæ, *Medicinæ* studio, conjungant *utriusque Chirurgiæ*, studium. Necessariò quidem, *Medicæ* chirurgiæ, seu *pharmaceuticæ therapiæ*, ad partium *solidarum* læsiones, & cum his complicata *humorum* damna, pertinentis: neque verò etiam ullô modô negligant discere, quantum prudentissima contemplatione, imò oculari inspectione operationum, usquam fieri potest, veram *rationem* ipsarum *strictè* dictæ *Chirurgiæ administrationum*: ut ad illas partim prudenter referre intelligant, quicquid ex *anatomiâ*, has verè respicere potest: partim etiam supervacuis, & purè speculativis, illis præjudiciis, exuere possint animum, quæ sæpenumerò, ubi nullum subest solidum periculum, tamen mentem *timore* & *solicitâ dubitatione* suspendere & percellere solent. In quem finem certè ambire debent studii Medici adhuc *sectatores*, occasiones videndi generosiores illas, ut vulgo vocant, operationes, *membrorum amputationem*, *lithotomiam*, *herniotomiam*, *vulnerum grandiorum tractationes*, & gratis ad hanc classem referri solitam, *actualium cauteriorum* administrationem. De qua ultimâ non possumus, quin adhuc paucis verbis dicamus, quod inanis illa formido, tanquam *horribilis* alicujus operationis, & quasi universalis *substitutio potentialium* cauterio-

rio-

riorum, in variis casibus reverà, nisi cum prudentissimô moderamine applicentur, majoribus incommodis ægros exponat, & *effectus* etiam aliquos ab *igne* expectandos, nequaquam assequatur: quale quid in *Carbunculis pestilentibus*, reverà ita evenire, pro certissimo habemus, quod nempè *actualis inustio*, nimio plus boni effectus in illis polliceatur, quam ulla *corrosiva* cauteria.

LVIII.

Ita enim demum cum pondere & fiduciâ, *limites* suos decernere integrum erit *Medico*, intrà quos *Chirurgi* sese continere debeant: & testatur hoc experientia, quod etiam *peritiores* quilibet Chirugi, optimam existimationem pro Medico concipiant, & autoritati ejus humaniter auscultent, quando illum, è *veris* & *pragmaticis* fundamentis, de suis negotiis aliquid monere audiunt, quod dignum sit observatu. Habebunt autem simul *Chirurgi* sanè affatim, quod rectè *discant*, ad prudentem operationem suarum manualiam directionem & executionem: tantò magis autem, ad *manualis* potius exercitii atque *dexteritatis habitum* acquirendum, eique incumbendum: dum ex adverso, confusâ illa discendi *Amethodiâ*, plus communiter sibi tribuere inducuntur, è *Medicis therapevticis*, ad reliquam Chirurgiam referendis, *Empiriis*, quàm ut propriis suis, *manualibus* operationibus, cum debitâ curâ justam operam impenderent. Adeò, ut certè consultissimum duceremus, positivè potiùs, juniores adhuc & minus exercitatos Chirurgos, à *Therapia Medico-chirurgica* seriò arcere, eisque illâ interdicere, neque ejus liberiorem usum ullis aliis permittere, nedum committere, quam qui *propriæ* suæ *artis* exactiore *peritiâ* jam conspicui, simul *moderationis, judiciosæ discretionis*, & *prudentiæ*, insignem fiduciam promereri observantur. Feliciffimè autem hoc, morali certitudine, procedet, si etiam Medici bono exemplo illis præeant.

Ita quidem proposito nostro, quantùm à nobis expectari usquam poterat, nos perfunctos esse, confidentes, Divinæ clementiæ supplicamus, ut illis de quibus egimus cœptis atque scopis, ex alto benedicat: interea pro præstita nobis gratia, humillimas laudes Ipsi nuncupantes.

S. D. G.